

CV III 30

Tranello dei Cartaginesi a Canne

Durante la battaglia di Canne (2 agosto 216 a.C.) i Cartaginesi ordiscono un tranello per ingannare i Romani e attaccare di sorpresa e alle spalle l'ala sinistra del loro schieramento.

Iam et sinistro cornu Romanis, ubi sociorum equites adversus Numidas steterant, consertum proelium erat, segne primo et a Punica coeptum fraude. Quingenti ferme Numidae, praeter solita arma telaque gladios occultos sub loricis habentes, specie transfugarum cum ab suis parmas post terga habentes adequitassent, repente ex equis desiliunt parmisque et iaculis ante pedes hostium proiectis in mediam aciem accepti ductique ad ultimos considere ab tergo iubentur. Ac dum proelium ab omni parte conseritur, quieti manserunt; postquam omnium animos oculosque occupaverat certamen, tum arreptis scutis, quae passim inter acervos caesorum corporum strata erant, aversam adoriuntur Romanam aciem, tergaque ferientes ac poplites caedentes stragem ingentem ac maiorem aliquanto pauorem ac tumultum fecerunt. Cum alibi terror ac fuga, alibi pertinax in mala iam spe proelium esset, Hasdrubal, qui ea parte praeerat, subductos ex media acie Numidas, quia segnis eorum cum adversis pugna erat, ad persequendos passim fugientes mittit, Hispanos et Gallos pedites Afris prope iam fessis caede magis quam pugna adiungit.

(Livio, *Ab Urbe condita libri*)

PER IL RIPASSO

1. Quale rapporto temporale intercorre tra la proposizione *cum... adequitassent* e la sua principale? Quale tempo verbale bisognerebbe adottare per esprimere contemporaneità tra le due proposizioni?
2. Ricordi quali diverse sfumature di significato possono avere le proposizioni introdotte dal cosiddetto *cum* narrativo?
3. Quale significato ha la proposizione *dum... conseritur*? Quali altri significati possono assumere le proposizioni con *dum* e l'indicativo/congiuntivo?
4. Riepiloga le diverse costruzioni delle proposizioni temporali introdotte da *priusquam/antequam*.